



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

tibi tuam gloriam, Christo JESU patrimonio, proprio ejus Sanguine acquisitum, Ecclesiæ militanti suum regnum, Terræ Sanctæ avitam fidem, & sanctitatem asserant, ac postliminiò restituant.

§. III.

TU ipse es ô Deus exercituum : qui excitasti nuper, ante Viam Austriæ, invictissimum Poloniæ Regem, Joannem III. Qui toto orbe Christiano trepidante, tantâ fortitudine, & felicitate, paucis, sed selectis copiis, usque ad ducenta bel-latorum millia aggressus est : ut cum flore nobilitatis Polonæ, & Germanorum Procerum, omnes Turcarum vires, non solum invictissimè sustinerit, verum etiam attriverit, frangerit, profligaverit. Urbem obsidentibus deditioni proximam, & cum illâ periclitantem Christianitatem, pristinae libertati reddiderit, siquidem protinus ut venit, & vidit; Christo auxiliatore vicit, omnium fidelium gratulatione & exultatione; Rex ille piissimus

piissimus æquè ac fortissimus, Turcarum terror & Domitor: dignus omnino, immortalis gloriâ, apud Deum & apud homines. Quippè qui Personam suam omnibus carissimam, vitam, & Regiæ Domus claritatem, pro gloriâ Crucis, pro conservatione Orbis Christiani, & pro omnium salute litavit, summiq̃ue in terris Christi Vicarii, sacris sollicitudinibus dedicavit, consecravitq̃ue.

Quam ob rem, grati animi ergo commune hoc esse debet fidelium omnium votum: ut Rex Regum Christus, cui data est omnis potestas in Cœlo & in terra: tam Christiani, tam Pii, tam magnanimi Regis consilia, conatus, certamina, novis Benedictionibus, auxiliis, & victoriis, sic cumulet, ut gaudium fidelium sit plenum: Reverà Christianis Regibus ipse unus Deo auspice viam præbuit stravitq̃ue, ac pariter ostendit, quàm facile, ille communis Ecclesiæ hostis, cunctis formidolosus, subigi, imò funditus deleri & extingui possit, si Christiani Principes junctis armis, malint bellum in ipsum capescere,

K


quàm privatarum rerum respectu, communibus incendiis flagrare. Igitur communibus viribus eum impetant, diversis copiis & locis eum invadant: ut non modò eum procul à suis finibus arceant, sed & planè profligent, extirpent, & exterminent: Hoc Deo auxiliante facilè fiet, si concordibus studiis, in communi periculo, quod quisque potest præsidii, in medium conferat. Sic res Christiana, invicta, integra, tranquilla, perfecta, & sub uno totius Ecclesiæ, Capite visibili, summo Pastore, Christi in terris Vicario, Beati Petri successore, omnium controversiarum, quæ ad fidem, mores, Sacramenta, & universale bonum totius Ecclesiæ militantis, spectant, Judice, ac moderatore, bene ordinata permanebit, ad finem, ab omnium hominum Salvatore intentum: idest ad illuminationem gentium, ad sanctificationem fidelium, & ad salutem prædestinatorum, ad vitam æternam in Christo JESU Domino nostro ad hunc finem à Deo trino optimo obtinendum, ordinaria media sunt

ordinatissima & efficacissima, dum-
modò illis ut bonos Christianos decet
bene utamur, videlicet morum refor-
matio secundum Evangelium Christi,
perseverans, humilis, & communis fi-
delium, charitatis vinculo unitorum,
inter sese oratio, & bonorum ope-
rum multiplicatio; potissimum ve-
rò quotidiana Sacrificii Eucharistici
oblatio; sancta ac frequens Commu-
nio. De quo tertio medio, hæc memo-
randa sunt.

NUMERUS XIII.

*Ut Deus exercituum, per Divinam
Eucharistiam omnium victricem,
extendat potentiam Brachii sui,
effundens iram suam in hostes fi-
dei: tollantur scandala è Templis di-
catæ Sanctissimæ Trinitati, & è ca-
stris fidelium.*

§. I.

 I per totum orbem Christia-
num, Divina Eucharistia, eâ,
quàm tanta Majestas in illa sub-
stantialiter residens, meritò ab omni-